



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Quadragesimale, Das ist: Die heilige Char-Wochen ... Dritter Theil

Barcia y Zambrana, José de

Augsburg, 1719

Dedicatio Authoris. Illustrissimo Domino Decano totique
Reverendissimo Capitula Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ in Hispaniis Primariæ
&c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76494)



DEDICATIO AUTHORIS.

Illustrissimo Domino Decano totique Reverendissimo
Capitulo Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ in Hispaniis Primariæ &c.

ILLUSTRISIME DOMINE.

Posteaquam ad Sacros Sanctissimi Patris, ac Domini nostri Innocentij Undecimi pedes quinque Christiani *Excitatoris* mei tomos, qui elapso proximè Anno Milleffimo Sexcentesimo octogesimo septimo in duobus foliis in publicum prodierunt, in humillimæ submissionis meæ testimonium obtuli. *Æquitatis ratio, & ordo jam exigit, multoque ampliùs illa mea, quam Superioribus debeo reverentia, & gratitudo me adigit, & inducit, ut sermones hosce meos, tomumque tertium de Sacra, magnaque patientis DEI Septimana Christianæ pietatis Illustrissimæ Dominationis vestræ Patrociniò, ac protectioni subjiciam, utpote cui commissa est Ecclesia hæc per Hispanias quidem primaria, post Romam autem prima, ac cæterarum regnorum istorum Ecclesiarum quasi primum mobile, ac sol quidam splendidissimus, unde tanta stellarum multitudo ad dirigendas vias suas lucem accipit. Quod insignem illum Virum Henricum Spontanum permovit, ut Epitomen suam alterius cujusdam Regni Ecclesiæ Primariæ adscriberet, id ab eodem annotatum talia mihi verba suppeditat, ut illustrissimis Dominationibus vestris longè magis quadrent, quàm illis, quibus primitus inscripta sunt: ita autem scribit ille: *Ut tibi Christianissima Ecclesia, persolverentur, ratio visa est postulare: non tantum, quòd apud Te edantur, & tuis beneficiis promoveantur, dumque omnibus munifica esse consuevisti, mei quoque patrociniùm liberaliter suscepisti, sed præcipuè, quòd nulla sit Ecclesia post omnium Matricem Romanam, quæ proximitùs ei ab ipso initio inhaerit fide, doctrina, Unitate, Dignitate.**

Spond. in
dedic. Epit.
Aonal. Ba
ron.

Cant. 3.

Julian. ap
Satz. ubi
infra.
P. Portocarr
lib. de
De' cens. B.
M. cap. 1.

Salazar.
Vic. S. Il.
def. c. 17.
Luitpr.
fragm. nu.
219.
Garz. to. 1.
Evang. cõc.
Elog. Eccl.
Tolet.

Sanchez.
Grand. de
Tolet.

Et verò nemo in dubium vocaverit, quin ingens mihi incumbat obligatio, ut Illustrissimæ Dominationi vestræ exile hoc pauperis, ac debilis studij mei obsequium deferrem, qui dignationis vestræ Clementiam expenderit, quippe quæ hominem tam exiguum in venerabilem *Capitularium* suorum numerum admisit. Atque hoc certè idem fuit, quasi admissus fuerim inter fortissimos in Israël, qui indefessâ semper vigilantia Regium divini Salomonis thronum, & lectulum, id est Illustrissimam hanc Ecclesiam, custodiunt, ornant, & conservant. Admissus sum ut Canonicus in illam Ecclesiam, in qua isti summi Pontifices à Vitaliano usque ad sanctissimum Patrem nostrum Innocentium, Imperator Constantinus, & ipsi Catholici Reges nostri Hispaniarum inter Canonicos numerati sunt, atque summæ, quam in terris occupabant, felicitati suæ hanc quoque accensuerunt, quòd fratres vestri essent, & dicerentur, absentiam suam submissâ multâ redimere non dedignati, prout nuper in sacratissimo Dominicæ Nativitatis festo, aliisque proximè sequentibus S. Stephani, & S. Joannis Evangelistæ feri à me observatum est. In filium admissus sum ab illustrissima illa Matre, à qua complures Eminentissimi Cardinales purpuræ suæ splendori illius quoque decorem superinduere procurarunt, prout olim septem tales purpurati Ecclesiæ Principes actuales Canonici *præbendam* in ea obtinuerunt. Admissus sum ab illustrissima vestra Dominatione in Chorum adeò honorificum, & præcellsum, in quo sanctus Ferdinandus Rex Castellæ, & Legionis serenissimos filios suos, Principes Sancium, & Philippum vel Cantoris, seu Psalmistæ officio fungi, & in illius frequentatione, & assistentia educari gloriabatur. Admissus sum utut tenuis ab illustrissimis vestris Dominationibus in tale Capitulum, quod seminarium semper fuit, in quo sapientissimi quique, ac prudentissimi Consiliarij, ac Governatores, nec non & Zelosissimi Ecclesiarum

Hispa-

DEDICATIO AUTHORIS.

Hispanicarum Præsules efformati sunt: & quam sæpissimè quidem hæc ipsa sancta Ecclesia ex Capituli hujus Gremio dignissimos sibi antistites assumpsit. Atque antiquitus quidem frequens admodum fuit ab archidiaconatus dignitate ad ipsam sacram Ecclesiam istius Primariæ Thiaræ ascensus. Sed & præsens ætas non ignorat, in sancta isthac Ecclesia Decanum fuisse Eminentissimum Principem Dominum Balthasarem de Moscoso, & Somdoval; Archidiaconum verò Eminentissimum Dominum D. Paschalem de Aragon: imò Decanus etiam fuit Eminentissimus noster Præsul, & Princeps Dominus Ludovicus Emanuel Fernandez Portocarrero, qui hodie in præclara hac Metropoli cum tanta gloria, ac publica utilitate principatur. Eximia profectò fuit gloria antiqui illius Josephi felicitas, quod ad Ægypti purpuram evehctus, atque ad supremam Regni illius dignitatem citra omnem humanam industriam, imò etiam imaginationem, & consilium fuerit electus, prout Philo Alexandrinus observat: *DEO visum est, inquit Philo, juvenem non humana, sed divina ope ad felicitatem provehi.* At verò tum demum tanta ejus felicitas plenè consummata fuit, quando præcipui regni illius Proceres eundem in Societatem suam tanta cum humanitate, benignitatèque admiserunt: *Viso Joseph: Ait Beseus, inter Proceres Ægypti.* In horum itaque consideratione quis me illustrissimæ vestræ Dominationi summopere obligari dubitaverit?

Sed prætereundæ hinc mihi non sunt, illustrissime Domine, aliæ quædam, Eæque præcipuæ causæ, quæ hanc meam obligationem comitantur, & excitant. Nam si sermones hos meos cum in finem scribo, ut exiguum meum talentum in publicam utilitatem, quodammodo saltem, expendam, petere certè debeo à Domino DEO divinum Spiritum, qui hæc mea scripta vivificet, utpote sine quo planè mortua sunt tum in se ipsis, cum etiam, quia indigna manu conscripta sunt. Siquidem, uti S. Augustinus rem secum expendit, sine solis calore sterilis est omnis qualiscunque agricolæ etiam vigilantissimi solertia. Hoc, inquam, si sermonibus meis præprimis est necessarium: ubinam divinam Majestatem his postulatis meis magis propitiâ invenire poteram, nisi in sacra hac Ecclesia? Etenim hic plurimum sanè (nostro sensu) obstrictam se novit infinita DEI Bonitas: quia ea tempestate, qua nondum erat Ecclesia Christiana, sed Synagoga Hebræa, in Christi JESU Domini nostri mortem non solum non consensit, cum ea de re à Synagoga Jerosolymitana consuleretur, sed per Procuratorem suum, seu Archisynagogum Eleazarum singulari constantiâ restitit, atque cum magna libertate ad Annam, & Caypham scripsit, mortique tam injustæ adversata est, ac Redemptoris mundi Innocentiam, honorem, & vitam ingenti Zelo, & conatu defendit. Quid igitur beneficiorum cælestium sperare non possit sancta hæc Ecclesia, postquam in fide orthodoxa tantos insuper fecit progressus, cum etiam dum fidei Christianæ umbra adhuc fuerat, Christi JESU Domini nostri partes jam tenuerit? Unde bene admodum intellexit illustrissima hæc Ecclesia, fidelissimam Esthærem se esse, ob Zelum suum, quem in asserenda filij DEI Innocentia præfetulit, tantis favoribus cumulata, cum in amore divini Assueri, & singularibus protus prærogativis latiùs excreveret, dum interim proterva, & arrogans Vasthi, Synagoga nimirum Jerosolymitana ob eam suam ingratitude penitus fuit repudiata, & abjecta.

Dein si pro obtinendo concionum istarum fructu potentissima Angelorum petindè, atque hominum, Reginæ Sacratissimæ Deiparæ Mariæ intercessione etiam indigeo: ubinam gentium hæc mea indigentia majorem concipere potuit fiduciam, quàm si hanc ipsam sacram Ecclesiam à Munificentissima Dei parente tam gloriose Visitatam, tantisque favoribus auctam esse video, prout in universo orbe notum jam est? gloriatur enimvero, & sanè gloriatur sacra domus de Pila Cæsaris Augustæ, quoniam primò omnium à Sanctissima Dei Genetrice Mariâ visitata fuit, ubi Apostolo nostro Sancto Jacobo peculiare Hispaniæ Regnis patrocinium addixit. Verumtamen illuc certè venit Cælitum Regina hac ipsa sua visitatione ad accendendum in hominum animis sui amorem inducens, & obligans ad devotionem; ad has verò sacras ædes venit non tam obligans, quàm ipsamet à devotissimo Cappellano & defensore suo Ildephonso obligata, & præclarò obsequiorum vinculo inducta, dum illi in amoris sui pignus, & præciti servitij præmium dedit casulam illam cælestem. Atque dubitandum neutiquam est? gloriosiore fuisse Josepho illi

Quintanad.
Sanct. To.
let. 1. p. c.
20 & 21.
Castej. li. de
la Prim. 1. p.
Quint. Dan-
nas 1. p.
Sanct. To.
let. cap. 9.
Castej. 4. p.
§. 28.

Genes. 41.
Phil. lib. de
Joseph.

Bese. Dom.
1. post Epi-
ph.

Aug. tr. 4.
in Epist.
Joan.
Et li. 4. de
Doct. Christ.
cap. 15.

Sandov.
Hist. Reg.
Ildes. 6. f.

71.
Julian. in
advers. n.
474. & seq.
Tamay. de
fens. dextr.
fr. 47.

Dextr. ann.
37.
Garib. l. 5.
cap. 4.
Pined. Mo-
narch. l. 4.
cap. 18.

Castej. 1. p.
cap. 13.
Esiher. 1.
& 2.

Marrac. ap.
Ortig. 1. p.
S. Raph. l.

1. §. 1.
Amb. mor.
lib. 9. c. 7.
Vvichm.
Sabbat.
Mar. c. 8.
Coracl. in

Zach. 4. v.
10.
Genes. 41.

DEDICATIO A UTHORIS.

illi Ægyptiaco tunicam, quam ipsi dedit Rex Pharaon, præ altera, qua eum po-
limità induit Pater suus; hæc enim teneritudinis, & propensionis animi argumen-
tum quidem fuit in Jacob, illa verò præmium fuit sapientiæ illius, qua Joseph fat-
cundam illam sterilitatem interpretatus est, & declaravit.

Porro, si ad consequendum doctrinæ in libro isto contentæ lucrum implo-
randum mihi etiam est patrocinium Sanctorum, ubi tot, tantosque inveniam, uti
in sacra hac Ecclesia? Atque hic mihi tacendum de innumeris istis, quorum præ-
tiosissima Reliquiæ in illustrissimæ vestræ Dominationis insigni illo, tantæque Ma-
jestatis sacrario repositæ sunt, tanquam selecta quædam pars Cæli; terræ autem
miraculum, sed de illis potius dicendum, quos proprios habes, O illustrissima
Ecclesia, septendecim nimirum Sanctos, & Canonizatos Archiepiscopos, cum aliis,
innumeris quasi, vitæ prorsus *Canonizandæ*: & post istos alios iterum septem Sanctos

Pis. lib. 4.
cap. 36.
Marier. l. 6.
cap. 33.
Isid. Pacenf.
in Chron.
Quintanad.
l. p. c. 31.

Canonizatos, qui verè pignora tua sunt incipiendo à S. Vitali Martyre, qui fuit pri-
mus tuus Decanus, usque ad Archidiaconum, S. Felicem, S. Venantium Martyres.
S. Petrum Episcopum de Osina, S. Gerardum Archiepiscopum Bragensem. Et
S. Julianum Episcopum Conchæ. Et præter istos quot non ex venerabili ista com-
munitate cum sanctitatis fama ex vita hac discesserunt, uti ex Archidiaconis Na-
talis, Montanus, Audencius, Gundericus, Bonitus, Cinila, Wistremicus, Eu-
genius S. Ildephonsi Avunculus, Guidila illius Discipulus, & illustris Martyr Tor-
quatus: præter innumeros alios, qui omni ætate hunc usque in diem tanquam

Julian. in
Chron. c. 2.
b. 1.
Castej. l. p.
Primar. e. 6.

præclara quædam sanctitatis specula effloruerunt: Ut proin jure optimo dicere tibi
etiam possit, illustrissima Domina, sanctus Augustinus, quod incomparabilem felici-
tatem Ecclesiæ suæ gratulatus olim dixit: Nam tamen hodie dum Ecclesia Toletana
jam non videt Patrem nostrum S. Petrum Apostolorum Principem, S. Pau-
lum, S. Thadæum; sanctum Barnabam, qui omnes Imperialem Civitatem & præ-
sentiâ suâ honorârunt, & Doctrinâ illustrârunt: Licet jam non videat magnum
Apostolum nostrum S. Jacobum, qui sanctam hanc Ecclesiam fundavit, atque à
multis primus illius Archiepiscopus appellatus est: quamvis jam non videat Euge-
nios, Elpidios, Julianos, Saturninos, aliosque olim Patres suos; siquidem non
solum gloriosa tam insignium & sanctorum Fundatorum memoria perduravit in-
concussa, verum etiam perfectissima quædam admirandorum exemplorum per
omnia retro sæcula continuata est imago. Atque adeo quamvis hos omnes jam
non videat inquam; tamen *Non reputes desertam*, inquit Divus Augustinus, *quia*
non vides Petrum, quia non vides Paulum, *quia non vides illos, per quos nata es.* De
prole tua tibi crevit *Paternitas: pro Patribus tuis nati sunt tibi filij.* O si ego igitur
Sanctorum istorum intercessionē Spiritus, & virtutum illorum pariter consequer
imitationem, sicuti characterem, & locum filij jam sum consecutus! Hoc nam-
que teste Arnolde Carnotensi DEUS innuere voluit, dum in Sacerdotis pecto-
rali, seu *Rationali* Veterum Patriarcharum Nomina inscribi jussit: ut nimirum
ipsorum nomina, & perfectæ vitæ recordatio ad imitandas etiam sanctas actiones
incitamento essent, & stimulo. *Seipsum*, inquit Arnoldus, *ad præcedentium Pa-*
trum, quorum gestat nomina, conformare debet exempla: ut, quorum recolat gloriam,
imitetur & vitam.

Aug. in Ps.
44.

Exod. 28.

Arnold. tr.
de 7. verb.

Dedic. Ec-
cles. Tolet.
lect. 5.

Posthæc si illi, qui scriptis suis Patronum inquirunt (Illustrissime Domine.)
Ad sublimiorem quandam *Nobilitatem, sapientiam, & Religionem* utcunque respi-
ciunt, ubi hæc tria ita simul inveniam, ut apud illustrissimam vestram Domina-
tionem? Nam cum inter alios gloriosos Apostolicæ hujus Ecclesiæ titulos etiam
reperiatur Titulus S. Crucis, in hoc ipso Dominicæ Crucis tria ista perfectissimè
adumbrata, delineataque invenis; dum enim in illo tres præcipuæ totius Orbis
linguæ, utpote Latina, græca, & Hebræa continentur, indicium id est, & Sym-
bolum, Christo Redemptori nostro famulaturum, quidquid est nobilissimum,
quod significatur in Latino: quidquid est sapientissimum, quod significatur in Græ-
co: & quidquid demum est Religiosissimum, id quod in Hebræo idiomate signi-
ficatur; prout Theophilactus cum Hugone Victorino exponunt: *In Latino*, inquit
ille, notatur nobilitas, in Græco sapientia, in Hebræica Religio. Quodnam autem em-
blematis hujus corpus, aut quæ corporis hujus symbolici anima est, nisi Sancta hæc
Eccle-

Theoph. in
Luc. 23. in
Cat. D. Th.
Hug. viet.
miscell. g.
lib. 4. c. 91.

Posthæc si illi, qui scriptis suis Patronum inquirunt (Illustrissime Domine.)
Ad sublimiorem quandam *Nobilitatem, sapientiam, & Religionem* utcunque respi-
ciunt, ubi hæc tria ita simul inveniam, ut apud illustrissimam vestram Domina-
tionem? Nam cum inter alios gloriosos Apostolicæ hujus Ecclesiæ titulos etiam
reperiatur Titulus S. Crucis, in hoc ipso Dominicæ Crucis tria ista perfectissimè
adumbrata, delineataque invenis; dum enim in illo tres præcipuæ totius Orbis
linguæ, utpote Latina, græca, & Hebræa continentur, indicium id est, & Sym-
bolum, Christo Redemptori nostro famulaturum, quidquid est nobilissimum,
quod significatur in Latino: quidquid est sapientissimum, quod significatur in Græ-
co: & quidquid demum est Religiosissimum, id quod in Hebræo idiomate signi-
ficatur; prout Theophilactus cum Hugone Victorino exponunt: *In Latino*, inquit
ille, notatur nobilitas, in Græco sapientia, in Hebræica Religio. Quodnam autem em-
blematis hujus corpus, aut quæ corporis hujus symbolici anima est, nisi Sancta hæc
Eccle-

DEDICATIO AUTHORIS.

Ecclesia sub titulo S. Crucis DEO dicata; quippe in qua, uti manifestum est, summa Nobilitas, summa sapientia, summâque Religio Christum Dominum veneratur,

Atque hic ego de prima nobilitate, qua Capitulum hoc illustrissimum semper fuit insignitum, hodiè que insignitur, tacendum quidem potius mihi esse reor, ne notam aliquam mihi consciscam, quasi in eiusmodis rebus declarandis immorer, quæ per se ipsius solis radiis clariores sunt. *Nec sol, nec luna*, inquit Philo Alexandrinus, *Opus habent interprete, qui nos doceat, sed ipso suo splendore fidem vel absque teste faciunt oculis.* Sed enim reticere non potero, quod orbis universus in nobilitate tam præclara, atque adeò bene hinc impensa, & explicata celebrat, & extollit. Unde si superstitiosa gentium antiquitas teste S. Augustino ad promovendum Bonum publicum politico hoc consilio usa est, ut viris in republica præcipuis persuadeat (licet adhibita quadam fictione) à Dijs quibusdam illos descendere, ut ita excitati à tam præcellâ profapia non degenerarent, sed potius in heroica quæque facta se se expendere, & tam præclaro sanguine dignum quid efficerent. *Ut eo modo animus humanus*, ait S. Augustinus, *velut divina stirpis fiduciam gerens res magnas agrediendas presumat audacius*: ita in illustrissima vestra Dominatione, atque aliis nobilissimæ præcipuæ viris, quos semper habuit, & adhuc habet Ecclesia hæc, hæroica, & præclara opera illustrium progenitorum Celsitudini sine fictione respondere conspiciuntur, imo quod longè præstantius est, ipsa clarissima sanguinis nobilitas per probatæ quasi in fornace virtutis Christianæ commercium extollitur, & amplius nobilitatur. Atque ita virtus, pariter & nobilitas pro majori Christi Domini nostri gloria immolatur: Haud aliter, atque venerabiles illi Senes, quos S. Joannes vidit, coronas suas Domino obtulere coram infinitæ Majestatis Throno in terram prostrati, & ita servitio ejus se ipsos, perinde atque dignitates mancipaveunt, prout Rupertus doctissimè observat: *Mittunt ante thronum coronas*, inquit, *id est quidquid virtutis, quidquid habent dignitatis.* Et sanè hoc ipsum fuit in causa, qua impellente ab illustrissimis vestris Dominationibus celebre illud, & tam singularis puritatis statutum effectum est, quod præ omnibus Ecclesiis unicum, & peculiare hic viget, & quidem Regni etiam legibus stabilitum; ita, ut ille duntaxat aptus habeatur, qui actu, quodam * *positivo* se probaverit, sicuti in ordinibus militaribus, ac majoribus collegiis usuvenit: Ut hunc in modum Cultus, & Servitium Divinum majori cum gloria, & Majestate propagaretur, si in sacra hac Ecclesia omnes DEI Ministri apti, ac habiles ipso facto invenirentur.

De incomparabili verò sapientia, qua ditata es, Illustrissima Domina, otiosum foret, atque superfluum multa disserere. Nemo enim ignorat Ecclesiam Tolletanam sexaginta Conciliorum fuisse officinam, semperque fuisse, & adhuc esse metam illam, in qua Doctissimorum quorumque labor sisti solet: imò esse vastissimum scientiæ oceanum, in quem litterarum suarum alveum exonerant omnia sapientiæ flumina, quæ in florentissimis Universitatibus, Collegiis, & Ecclesiis oriuntur, & postmodum hinc inde eundo crescunt: *Omnia flumina intrant in mare.* Ubi dein, haud secus atque in mari flumina, utut alibi copiosissimi visi sint, & scientiarum aquis ditissimi fluvij nomen suum & famam, qua in aliis orbis partibus inclauerunt, nihilominus amittunt. In hoc quippe litteraturæ oceano pro firmanda illorum autoritate abunde eis sufficit, quod immensitatis illius portio quædam sint, & habeantur. *Ad nihilum devenient*: prædixit illis David, & purpuratus Hugo clarissimè edisserit: *Quando intrat in mare, inquit, ad nihilum devenit, quia nomen amittit.* Et sicuti in mari nondum quiescendum est aquis sapientiæ, siquidem novam inde per doctrinam, & eruditionem rursus effluendi nanciscuntur auctoritatem, ut Ecclesiæ campum quæ ex cathedra, quæ ex pulpitis, quæ ex *confessionali*, quæ ex Capitulis irrigent, & sæcundet: *ut iterum fluant.* Ubi optimè Sanctus Bernardus: *Remittatur ad suum principium*, inquit, *caeleste profuvium, quo uberius terra refundatur.* Et verò non contenta est vestra Illustrissima Dominatio, si vicinos duntaxat agros inundet, atque sæcundet; siquidem ad irrigandas, illustrandas, defendendasque etiam alias Hispaniæ Ecclesias se diffundit. Hinc fit, ut non raro ex illustrissimis capituli hujus Cælo, non aliter, quàm tempore Deboræ factum est, stellæ etiam ad remotissimorum Regnorum istorum Ecclesias discurrant contra quemcumque Sisaram emergentis fortè violentiæ, injustitiæ, dubij, ac

Phil. Alex.
lib. de Sa-
crif. Abel
& Cain.

Aug. li. 3.
de Civ. Dei
cap. 4.

Apoc. 4.
Rup. ibi, li.
4.

Philip. IV.
ann. 1623.
*Quid au-
chor per
hunc actum
positivum
proprie ve-
lit: forte
Canonici
aliquod
tempus
probationis
subire de-
bent.
Quintanad.
Sanct. To-
let. 1. p.

Ecclef. 1.

Psal. 57.
Hug. Card.
ibi.

Ecclef. 1.
Bern. serm.
13. in Cant.

DEDICATIO AUTHORIS.

difficultatis cujusvis pugnaturæ. *Stelle manentes in Ordine, & cursu suo adversus Sifaram pugnaverunt:* uti Debora cecinit, & Daniel Propheta de viris doctis explicat: *Qui docti fuerint: & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stelle &c.*

Quid autem de insigni, & singulari prorsus Religione tua dicam, illustrissima Ecclesia? Is denique hanc ignoraverit, qui sanctam Ecclesiam Toleranam in mundo esse penitus nescierit. Quem enim latet eximia ille Majestatis cultus, qui Infinita Divina Majestati exhibetur à tanto numero sacrorum ministrorum, inter quos quatuordecim dignitates, quadraginta Canonici, quinquaginta Beneficiati, quadraginta octo Capellani Chori, seu Chorivarij, absque compluribus aliis, quos in celeberrimo Choro suo ad divinas laudes adhibet. Qui utut amplissimus, ac capacissimus sit, sella tamen, aliquando & locus deesse solet ijs, qui eò in tanto numero conveniunt, ut ultra quadringentos quadraginta quatuor numerentur. Ut itaque in eo appareat illa similitudo gloriæ DEI, quæ Isaia Prophetæ exhibita fuit in ingenti illa Seraphinorum throno divina Majestatis assistentium multitudine. *Ingentem enim Seraphinorum multitudinem* vidisse eum ait Arias Montanus cum aliis. Et licet sacer Vates dicat, se duos tantummodo vidisse, plures tamen erant, quia illa divinis laudibus addita Seraphicorum spirituum multitudo in duos choros erat divisa: *Clamabant alter ad alterum.* Et id quidem tanta cum assiduitate, ut perpetuum hoc fuerit eorum negotium diebus perinde, ac noctibus continuatum, quemadmodum S. Joannes in Apocalypsi observavit: *Requiem non habebant die, ac nocte aicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Hæc namque teste Richardo victorino Seraphicorum spirituum summa quies est, quod à concinendis divinis laudibus nunquam cessent: *Hoc est,* inquit Richardus, *summè & perfectè quiescere, à Creatoris pia laude non cessare.* Enimverò exactissima hæc chori tui imago, Illustrissima Domina (Ecclesia) utpote in quo concertant & ministrorum frequentia, & decentia, & gravitas, & devotio, & silentium, & exquisita cantus observantia, ac decor, & diligentissima nocte, ac die assistentia, ac denique, quod proprie Seraphinorum est, in his omnibus animus à lucri spe purus, dum plurimæ fundationes aut ob antiquitatem tenuissimæ, aut ob non solutos annuos Canones, & fundorum pensiones, quoad stipendium jam penitus nullæ, nihilominus accuratissimè expleri conspiciantur? Est itaque hæc Religio tua pulcherrima illa, perfectissima, ac pacifica Sunamitis, de qua Salomon hodieum dicere iterum potest conjunctos in ea esse choros cum exercitijs castrensibus. *Quid videtis in Sunamite, nisi choros castrorum?* Nam si in sancta hac Ecclesia videntur chori quoad sacrum cultum eximie prorsus Majestatis; in hoc ipso cultu etiam conspiciuntur castra, & exercitus, quibus non solum fidelium peccata, & tepiditates profligantur, verum etiam de ipsa infidelium cæcitate, & pertinacia triumphatur. *Sunt chori castrorum,* commentatur hunc in locum Eminentissimus Hugo, *qui DEI laudibus insistent.* Fuit enim nonnemo, qui tanquam viva quædam infidelis Jericho inexpugnabiles superbiæ & errorum suorum muros diruit, & sacræ Religionis veritatem confessus est, dum illustrissimæ hujus Ecclesiæ devotissimam musicorum instrumentorum, organorum, & vocum concordiam audivit ultimo die sacratissimæ octavæ, qua novi testamenti Arca sacratissimum corporis Domini Sacramentum sollemniter excipiebatur. *Populo vociferante, & clangentibus tubis muri illico corruerunt.*

Verum publica populi ædificatio jam potius edicat, illustrissime Domine Decane, quidnam illustrissimæ hujus Ecclesiæ sacras voces potissimum animet, & vitam ei atque valorem conferat, nisi exacta morum ad omne virtutis exemplum optimè compositorum harmonia. Verum hic est, quod David vaticinatus est, audiuntur palam ex ore resonare voces, quibus DEUS exaltatur & glorificatur: *Exaltationes DEI in gutture eorum.* Hæc autem voces cum penetrantes quidam gladij sint, quibus triumphatur, manibus certe bonorum operum, & exemplorum debentur: *Et gladij ancipites in manibus eorum.* Quandoquidem in Ecclesia hac videnda est una cum celsitate humilitas, cum Christiano commercio prudens solitudinis studium; & vicissim statûs decentia sine profana pompa, gravitas Ecclesiastica sine affectatione, unanimitas, & concordia cum D. Præsule & inter se sine partium studio, & singularitate: observatur porro in ea charitas erga egenos oppidò

Judic. 5.
Daniel. 12.

Sanch. 3. p.
fol. 237.
Joan. 12.
Isai. 6.
Ariasm.
forer. Prad.
ap. Alcaz.
in Apoc. 4.
Isai. 6.
Apoc. 4.
Chryl. in
cap. 6. Isai.
Ric. Vict.
in Apoc. 4.

Castej. 4. p.
§. 28.

Quiaranad.
1. p. c. 19.

Laurent.
V. Sunam.

Cant. 7.

Hug. Card.
ibi.

Josue 6.
Aug. serm.
106. de
Temp.

Psal. 149.

DEDICATIO AUTHORIS.

oppidò profusa, tamque repetita, ut illius exhibitione omnes conventus Capitulares coronentur, ut omnia festa etiam charitate erga inopes celebrentur, ut reditus eleemosynis augeantur, cum quivis privatus domi suæ sit pater pauperum, atque illustrissima vestra Dominatio singulariter Pater tot amabilium Patrum præclaro illo exemplo, quo quotannis tam copiosa panis quantitas per unum aliquem Dominorum Capitularium, qui ab illustrissima vestra Dominatione peculiariter ad id designatur, distribuitur, ut singuli pauperes quotquot per singulos dies ad Ecclesiæ portam accedunt, singulos panes accipiunt. Oigitur sacrae charitatis Nilum munificentissimum, perinde atque copiosissimum! de quo certè meliori jure dixero, quàm Solinus de illo Nilo Ægypti, quod tantum metant, quantum ille facundat: *Tantum crescit, quantum irrigat.* Augeat ergo (si tamen incrementum porro capere potest) Illustrissimæ vestrae Dominationis celsitatem DEUS optimus ea proportione, qua ipsa liberalissima sua charitate tot pauperum terram tanta inundatione irrigat. Atque hac ratione, sicut olim Ægyptij statuam, quàm Josepho erexerunt, coronarunt modio illò, quo ipse egentibus frumentum distribuit ad perpetuum erudiendis posteris exemplum, uti scribit Julius Firmicus: *Ut justam dispensationis gratiam posteritas disceret: quo modo esurientibus frumenta diviserat capiti is superpositus est:* Sic corona illa, & felicitas temporalis, & æterna Ill. Dom. Vc. cælitus indulta omnibus Ecclesiasticis multiplicandæ Eleemosynæ exemplo sit, & documento.

Solin. c. 34.

Jul. Firm.
lib. de error.
Prophan.
Relig. c. 14.

Et hæc sunt, illustrissime Domine, quibus præter justissimam meam gratitudinem pro tantis beneficiis, quorum debitorem me agnosco, adactus sum, ut illustrissimæ vestrae Dominationis bonitati opellam hanc meam submississimè offeram. Quæ autem porro desuper dicenda, ea acuratè meo nomine scripissè videtur citatus Henricus Spondanus, dum omnia, quibus ego permotus fui, sequentibus verbis concludit: *Non ea minima suppetit facti meiratio, quòd nulla sit penitus Ecclesia post illam omnium primam, in qua ita vixerit, florueritque divinum dogmatum puritas, disciplina observantia, morum censura, custodia Canonum, nitor sacramentorum rituum, peritia sacrarum artium, & scientiarum.* Rogo proinde, dignetur illustrissima vestra Dominatio exiguum hoc quidem pro tanto Principe venerationis meæ monumentum, & obsequium solitè tamen clementià admittere; nam licet ego quidem id non merear, saltem submissè voluntas, qua illam offero repudiari non meretur; cum ista autem submissione DEUM, ac Dominum nostrum deprecor, ut illustrissimam vestram Dominationem in clarissima amplitudine sua porro promoveat ad suam ipsius in primis majorem gloriam, & majus etiam totius Ecclesiæ decus, & ornamentum.

Spond. de
dic. Epit.
Annal. Ba-
ron.

Illustrissima Dominationis Vestrae.

Minimus, & Submississimus Filius,
& Capellanus.

Doct. D. Joseph de Barzisa
& Zambrana.

APPRO-